B. N. C.
FIRENZE
1082
13

1082. 13

1
GVARN

ANDREÆ GVARNÆ SALERNITANI CREMONENSIS

Bellum Grammaticale.

Dilapſis ferme duobus ſeculis Patriç
Typis redonat

D. DESIDERIVS ARISIVS
HIEROMONACHVS

Hieronymianus Congreg. Inſubriæ,

ET DEDICAT

REVERENDISSIMO PATRI

D. ROMANO MERIGHO

Claſſenſis Aſceterij Rauennæ
Nunc S. Romualdi de Vrbe
Abbati Spectatiſſimo

Nec non totius Ordinis Camaldulenſis Generali
Procuratori Meritiſſimo.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

CREMONÆ, M.DC.XCV.

Typis Fratrum de Zannis, Propè Eccleſiam S. Facij.
Superiorum permiſſu.

REV.MO PATRI D. ROMANO MERIGHO

Abbati Camaldulenſi

DESIDERIVS ARISIVS

Monachus Hieronymianus

Salutem

NOndum iſtius denuò imprimendi libelli, ſe mihi præbuerat gratiſſima occaſio, & iam Tù Prçſul Ornatiſſime, in Patronum occurrebas; Nec enim Tù, ſed aliquid eligendum erat; ex quo te mihi Patronum conſtituerem. Itaq; dum hoc ANDREÆ GVARNÆ Patritij Cremonenſis, & eximij Viri, Grammaticale Bellum, ad reparandam propriam, & Auctoris memoriam temporis iniuria in Patria penè depereuntem,

tem,

tem, mei cura in publicam lucem erumpit. Tù patere vt ſub tui nominis Vmbra promeritos omnium plauſus iterum nanciſcatur. Enim verò ea eſt, qua tibi adijcior, animi neceſſitudo, totq; virtutum, quibus ornaris, ſunt argumenta, vt à metipſo quid congruum, & te dignum fruſtrà expectare poſſim. Et ſanè quid ego tibi non debeo, quidue tù non mereris? Grato ſe ſe adhuc offerunt animo, numquam euaſura grandia illa, quæ tibi placuit in me conferre beneficia, quęque Fratrem itidem meum FRANCISCVM vno eodemq. vinculo tibi deuinxere. Recens nimis eſt quod in nuperimo ad Rauennam aduentu meo, mihi perhibuiſti, gratuitum humanitatis tuæ pignus, & in illo, cui feliciter præeras Aſceterio, me benignè hoſpitatus, & Ribani tui amenitates mihi affatim impartitus. Tuq; hæc pręſtitiſti, qui RAVENNATVM, & CAMALDVLENSIVM ſplendor, atq; litterariæ Reipublicæ es ornamentum; Qui ſexto nondum expleto luſtro, inſueto quidem, ſed pleno meritorum tuorum ſuffragio, ad huiuſce Claſſenſis Ce-

no-

nobij ſupremam euectus dignitatem, pauloq; poſt in proximis comitijs ad Generalis Miniſtratoris gradum elatus ſtadium emenſus es eo tempore, quo alij iter arripiunt: Et qui demum tantâ præſtas magnitudine, vt hoc, quamquam haud tenue, obſeruantię meæ argumentum, emerito ſpretu, queas reſpuere. Veruntamen abſit vt aſſuetę oblitus humanitatis, Amplitudinis tuæ, vel tenuitatis meę memineris. Nobilis animus tenuiora quoq; non deſpicit. Vale.

Amice Lector.

ANdreas Guarna Salernitanus Cremonenſis Patritius, Vir doctrina, & ingenio percelebris, atq; Patrię, tum ex ſe, tum ex Auo Iacomatio tibi vel notiſſimo, optimè meritus, hunc libellum anno 1511. mira planè arte, quamquam lepidè ſcripſit, & in lucem edidit cuſum à *Franciſco Ricardo* de Luere in Patria Calcographo, deinde cum iam cuncta ferè illius exemplaria litteratorum manibus terita eſſent, ille denuo fuit, tanquam immortali luce dignus pluries, atque pluries apud Exteros typis traditus, non alia, quam communis plauſus Aura. Neq; Exterorum operà profuerat, vt vnum ſaltem exemplar Patriæ redderetur, vel ſi redditum fuit, defuerat noſtro-

rum cura, vt ſeruaretur. Tandem dum FRANCISCVS Frater meus dilectiſſimus, qui de Scriptoribus Cremonenſibus Hiſtoriam conſcribit, huiuſce libelli notitiam, ab alijs Auctoribus illum recenſentibus duntaxat deſſumpſerat, vt eumdem refferet, LAZZARVS AVGVSTINVS COTTA de Ameno Nouarienſ. I.C. eius amicus eruditiſſimus, qui Patrię pariter proprię litteraria euoluit monimenta, eiuſdē libelli copiam ſibi forte obuentam, & primò Cremonæ excuſis à Ricardo, ipſi Fratri meo dono tranſmiſit, vt apud eum, non ſolum aliorum fide, ſed proprio teſtimonio elegans liber promeritam ſibi laudem vindicaret. Itaq; ne huiuſmodi libelli, & tanti Auctoris memoria penitus depereat, vel ſi temporis inuidia iam euanuit, adhuc reuiuiſcat; accedente quoq; Fratris conſilio, & communis ſpe gratificationis, illum patrijs

ite-

iterum typis mandandum optimum duxi. Tù igitur benignus, amice Lector, excipe librum, quem Maiores tui pergratum habuerunt, nam ille tibi redditur non datur. Inſcribitur Grammaticale Bellum, liber Auctore quidem dignus; Par enim erat vt is, armatę ab Auis ingenitę, & litterarię proprio ſtudio ſibi addictę Palladis, vno eodemq; tempore fidem perhiberet. Quęſtiones de Verbo, & Nomine, quæ tibi in eo occurrent, Grammaticus lauda, Philoſophus non ſpernito. Cęterum ſi quid exinde voluptatis, vel vtilitatis tibi eueniet percipere, id te mihi debere ſcias, vt me amęs, & magis magiſq; cum carmina Ioannis Ludouici Tritaui mei, ac Ioſephi Nigri Proauunculi Eccleſiaſticis munijs admodũ noti priſco abſterſa puluere Reipub: Eruditorum quanto citius oſtendam. Vale.

ECLECTA
DE
ANDREA GVARNA
Ab Opere de Scriptorib. Cremonen. FRANCISCI Fratris mei hæc ſunt.
MDXI.

ANdrea Guarna cognomento etiam Salernitanus Bartholomei F. acris ingenij Vir ex gente nobili, cultu Sacerdos, literiſq; humanioribus, & præcipuo ditatus eloquio, præter alia eius doctrinæ monimenta quæ adhucdum deliteſcunt, edidit Cremonæ anno 1511. viuidum, lepidum, ac eruditum Opuſculum, cuius prototypon inſcripſit Paulo Cęſio I. V. C. Romano (exinde à Leone X. S. R. E. Card.) per Franciſcum Ricardum de Luere Calcographum, cui titulus

Grammaticę Opus, nouum mira quadam arte, & compendioſa excuſſum, ſcilicet, vt ab eodem explicatur, Grammaticale Bellum Nominis, & Verbi

Re-

Regum, de principalitate orationis inter ſe contendentium. Pluries formis traditum habetur, & nempe Venetijs anno ſalutis 1537 per Petrum Nicolinum de Sabio Opera Melchioris Seſſe in 8. annexo Alberti Accariſij Centenſis libello, attitulato *la Grammatica volgare*, ædito anno ſubſequenti 1538. Prodijt ibidem 1550. in 4. typis Vincentij Valgriſij, & 1565. apud Rampazettum 1581. penes Franciſcum Zilettum, inibi Autor perperam vocatur Patritius Salernitanus, Lugduni 1577. & eodem anno Vuitembergæ apud Clementem Schleic, & 1580. per Antonium Schoy, Baſileæ eodem pariter anno per Robertum Vuinter, & apud Iacobum Parcum, Lugduni iterum penes Frellon 1581. & alibi, ac nuperime Amſtelodami; legitur, & inſertum in Amphiteatro ſapientiæ Socraticæ Iocoſeriæ, pag. 671 & 73.

Ab enuntiato opuſculo noſter Auctor homo emunctæ naris arguitur optimè de regulis grammaticalibus inſtructus cum eaſdem aprime doceat ſub Belli figura; Quippe Prouinciam Grammaticæ deſcribere aggreditur eiuſq; Regulos, ſcilicet Verborum, *Amo*, & nominum *Poeta*; narrat proinde Belli occaſionem, & Regulorum iura, Conſilia de Bello ſuſcipiendo, *Amo* apparatus, & Caſtra, *Poetæ* Exercitus, vtriuſq; epiſtolas ad *Participium*, vt ſibi ſuis legionibus adiungatur, *Participij* calliditatem, & commeatum, ac ſuppetias ad vtriuſq;

Acies,

Acies. Arguit Catholicon de ignorantia, dicit Priſcianum captum, ac vulneratum, Iacobum Philippum Bergomatem relegatum. Exprimit hinc inde damna Præliantium, Deſertorum ſupplicia, Nuntios ac Regulum *Amo* pro pace componenda, ac Pacis Arbitros leges indicantes, ſcilicet Clariſſimos Viros Thomam Phedrum Volateranum, Petrum MarſumDiui Laurentij in DamaſoCanonicum, Raphaelem Lippum Oratorem Florentinum, quos laudat cum Alexandro Zambeccario Patritio Bononienſi, & alia pleraq; ſalaci ingenio, & dulci lepore referta. Operis ideã Andreas noſter quadantenus à Luciano de ſumpſit ex codice de Iudicio Vocaliũ, ſeu de Sigma, & Tau, qui Cęlio Calcagnino interprete anno 1539. prodijt Baſileæ typis Michaelis Iſing.

Ad laudem Auctoris, Gaſparis Auiati, ac Hieronymi Fonduli Cremonenſium carmina poſt opellæ abſolutionem leguntur.

Scripſit, & aliud Opuſculum Simia nuncupatum, me latet atqui ad hanc diem illius archetijpus.

Memoratur Andreas à Conrado Geſnero in Bibliotheca inſtituta, ex qua deſumpſit equiuocum NicolausToppius in Bibliotheca Neapolitana ſicuti ex memoratis typis Ziletti apponendo Andream Guarnam à Salerno abſq; vlla mentione propriæ Cremonenſis Patriæ, quinimo vnicum Opuſculum Grammaticale in duo diſcreuit.

Ab

Ab Alexandro Lamo in ſomnijs cant. 3. pag. mihi 73.

A Thoma Garzonio in Platea Vniuerſali diſc.4.

Ab Abbate Secundo Lancellotto in libro de ingenijs noſtrorum temporum inſcripto l' Hoggidi P. 2. cap. 9.

A Ioſepho Breſciano in Corona Vir. Illuſt. Cremonenſium lib. 1. parte 3.

Ab Eruditiſſimo Viro IoanneCinello Inſigni Medico, & Patritio Florentino in eius Bibliotheca Volan. pluteo primo pag. 14. & ab alijs

Ex Bibliotheca Exotica pag. 177. videtur hoc opuſculum gallica verſione traductum hoc tit. Andr. Guarna Guerre Grammaticale des Deux Roijs le Nom, & le Verb, combatans pour la principaut de l'Oraiſon, traduit de Latin à Lyon Mich. Ioue, & ab alijs in 16.

Eiuſdem Andreæ nomen exornat lapidem ad Diui Dominici in Sacello S. Petri Martyris, vt ſequitur.

Ad Æternam DeiGloriã Sacellũ hoc à Bartholomæo Guarna Salerno iuſſu IacomatijPatris vita functi anno 1452. conſtructum, & Diuo Petro Martyri cumAra dicatum, cõſtitutamq;dotem ob miſſę quotidianæ celebrationem ab eius filijs *ANDREA* qui ſub Iulio II. Pont. Max. Bellum Grammaticale, & Simiam luſit Ludouico Peditum Equitumq; Ductore Iacomatio, Benedicto, & Thoma Cremonen-

nenſibus Patritijs, & reſſolutam ab Leone, & Andrea Peditum Ductoribus, cęteriſq; eiuſdem Bartholomei Nepotibus ſaxo hoc memoriæ ergo Salerni, nunc ſuperſtites Poſteris teſtatum eſſe voluuere Anno ſalutis MDLXXXVI.

Ita calamo bellicoſus Andreas à Martià maiorum propenſione non deſciuit, quos inter præclariſſimi, qui Salernam Gentem Cremonæ fundarunt, Iacobus ſcilicet, qui, & Iacomatius nuncupatus eſt, & Mazeus de Guarna ex Salerno Campaniæ Vrbe, vnde cognomen traxerunt, cum alijs profecti ad Franciſci Sfortiæ ſtipendia, ſub quo cum ſtrenui Militum Ductores emerſiſſent Ciuitatis noſtræ iure donati ſunt, Quia, & ipſe Iacobus optime de noua Patria, meritus eſt, tunc quando in Generum Sfortiam Philippus Maria Vicecomes eius Socer armatus Cremonam inuaſit; tum vbi eamdem aduerſus Venetos validiſſime oppugnantes propugnauit, copijs Præfectus à Blanca Maria Sfortiæ Coniuge, quæ & ipſa, vltra ſexum generoſi animi feruorem oſtendens cum Iacomatio prodijt armata. & quem primum Marci, Marci nomen iterata, & clara voce, militari ſymbolo iactantem audiit, haſta ori infixa proſtrauit, inſigniſq; Victoriæ Cremonenſibus ſuis in cauſa fuit, vt notant Campus, & Cauitellus Hiſtorici Patriæ ad annum 1448.

LA-

LAZARI AVGVSTINI COTTÆ

De Ameno I. C. Nouarienſis

AD

FRANCISCVM ARISIVM

I. V. C. & in Patriæ Foro Cauſarum Colleg. Patronum.

Cum Grammaticale Bellum Andreæ Guarnæ Salernitani Cremonenſis dono mitteret.

ELEGIA.

PVgnaces abige, ARISI mi care, Clientes
Eijce rixantes, parce aliquando foro.
Et rabidis rabulis ſuccedant plectra, meloſq;
Mulceat, & curas Calliopeia tuas.
Sic ego dum ferior, conor reuocare Thaliam,
Quæ feſſas aures leniat arte meas.
Aſt ea, quæ ſtrepitu me torquent, triſtia fata
Muſarum ad ſtrepitum me met adeſſe iubent.

Ciuiles pugnas, quas pandit Guarna Salernus
Andreas, dedit hunc alma Cremona Virum.
Excurro: at credas, nequeo cohibere cachinnos,
Dum VERBVM, & NOMEN regia ſceptra petunt.
Lallius Etruſco, prompſit, qui carmine clades
Muſcarum, credas nil niſi leue refert
O mirum! hic bacchatur AMO, furit, æſtuat ira;
O mirum! miles fitq; POETA ferox.
Horreat hinc riſus, verum hinc ſubrideat horror,
Enſe iocante truci, digladiante ioco.
Sed mulctatur AMO, ſed mulctaturq; POETA
Pacta POETA cupit, fędera iungit AMO.
Vt tantum Bellum noſcas, noſcaſue Salernum
Otia iocundus faxit Apollo, precor.
Gloria Libetridum ARISI CVLTISSIME, ſalue,
Muſa recede: ſat eſt; turba moleſta redit.

Ameni ex diuerſoriolo Fonte aureo
3. Cal. Maij 1693.



FRANCISCVS HONVFRIVS COTTA

Eiuſdem

I. C. LAZARI AVGVSTINI F. Emeritus.

SI vacat, & pateris paulìſper abeſſe Clientes,
Hęc pendet dubio lis agitanda foro.
Semotis rabulis placidiſſima Numina Muſę
Audebunt nota dicere voce: vale.
Ne trepidas prohibe (nam lex vetat æqua) puellas.
Scilicet hoſpitij iure venire puta.
Sic mihi (vt exemplis parcam grauioribus vti)
Non numquàm curis mos dare verba meis.
Sed tu cum feſſas tecto ſuccedere Muſas
Iuſſeris, vrbano more ſedere iubes.
Ecquod in Aonio turbatum culmine quæris,
Cauſaq; num profugas egerit vlla Deas!
Mox tibi narrabunt pluſquam Ciuilia Bella;
Ne te res nimium terreat illa, caue.
Ludrica res agitur, nec noſtri temporis; & vix
Rixa fuit, placidos inter habenda iocos.
Hæc tuus, ARISI, quondam tibi nomine notus,
Vt riſum excutiat, prælia Guarna ciet.

At quos hic hoſtes, quibus vti credimus armis!
Garrula gens vacuas conſeruere manus.
Nomina pugnarunt Verbis. heù parce cachinno
Non hæc de ſolo Nomine rixa fuit.
Regnum agitur, regnum poſcunt ciuilia bella.
Hinc AMO pro Verbis, inde POETA furit.
Marte diù incerto pugnatum. at cætera dicent
Ordine Pieriæ, ſi patiere, Deæ.
Heu reuocant iterum, turba importuna, Clientes.
In Muſas tecum paululum adeſſe iube.

PAVLO CÆSIO
Iur. V. Conſulto,
ANDREAS GVARNA
SALERNITANVS, SAL. D.

BEllum illud memorabile, quod inter Grammaticę Reges, non minoribus animis quam odijs geſtum eſt omnium periculoſiſſimum, cum ſuperioribus diebus imprimendum curarem Paule Cæſi, cui nam potiſſime id opus dicarem, cogitanti diutius vnus mihi occuriſti, quem tametſi paternis inherentem veſtigijs, arduæ Iuſtinianæ ſanctiones, ac difficilia indefeſſe exerceant legum decreta, ea nihilominus es ingenij dexteritate, vt poſt inquietas fori actiones, poſt importunas clientium querelas, domum reuerſus, ætati aliquantulum, atq: animo indulgens iocos, ſales, cęteraq; quæ pulſis occupationum tenebris, affectam mentem exhilarare conſueuere, ſeruata ſemper perſonæ grauitate, admittere non vereare. Decorabunt alij nomen, virtuteſq; tuas ſublimioribus, grauioribuſq; lucubrationibus, ſed, & tute parentem imi-

tatus; te ipſum, ac familiam tuam marmoreis laudibus illuſtrabis, ipſe ex tenui penu quod poſſum proferens beneuolentiam; quæ vnico congreſſu [tantum plerumq; valet ad conciliandas amicitias morum conſenſus] inter nos exorta eſt nunquam inter moritura, vel vnico hoc proſequar munere deuotiſſimo. Vale, & me Tarquino Sanctę Crucis Romanæ iuuentutis ſplendori, ac bonarum litterarum cultori comendatum redde.

GRAMMATICALE BELLVM

Nominis, & Verbi Regum, de principalitate orationis inter ſe contendentium, nuper editum

A REVER. D.

A N D R E A
SALERNITANO

Patricio Cremonen.

GRammaticę prouinciam cæterarum omnium, quę vbiq; terrarum fama celebres ſunt, pulcherrimam, feliciſſimamq; eſſe, nemo ferme vel mediocriter eruditus eſt qui ambiget. Quippe cum amænitate ſitus, ſalubritate cęli, frugum omnium copia, rebuſq; alijs, quibus mortalis hæc vita carere non debet, nulli cædat, tum illuſtrium virorum nutrix ſemper extitit, & alumna. Sicuti enim ætate hac, ita priſcis etiam temporibus inuiolabiliter obſeruatum fuit, vt quicquid vbiq; gentium [Barbaras, & deſides nationes ſemper excipio] gi-

gigneretur ingenij bonæ indolis, alicuiuſue ſpei, eo ſanctiſſimis imbuendum diſciplinis mitteretur. Ex hac ſiquidem ad ſublimiores regiones, beatioreſq; habitationes Dialecticam, ſcilicet Philoſophiam, Theologiam, cæteraſq; illis ſimiles prouincias vnicus aditus patet, & niſi eam peragrauerit in illarum ſacraria minime quis valeat penetrare. Quę quidem licet tanta polleat amænitate, & rerum copia, eſt nihilominus altiſſimis circundata montium criſtis, & inacceſſis eo vſq: circumſepta Alpium iugis, vt niſi peritum habeas itineris ducem ad eius plana, cultaq; nunquam valeas peruenire. Fuit proinde vt, & nunc eſt eius prouinciæ Regibus laudabilis & pius mos, ne mortalium genus tam neceſſario bono priuari queat, ex ſuis militibus veteranos (quos pedagogos vocant] in omnes mundi partes dirigere, qui tenerioris ætatis aduleſcentes (nam adulti, & prouectiores haud facile diſciplinam recipiunt) ad ipſa vſq; regum palatia incolumes perducant, vbi, & Latiæ, & Cecropię Mineruæ artes eruditi prædictas poſtea ſublimiores regiones ſcandere valeant, & expeditius penetrare, ibi Græci omnes, Latiniq; quos vel propria ſcripta, vel aliena celebrant monumenta, tirocinia ſua prima exercuere, ibiq; edocti, atq: inſtructi, tantis poſtmodum floruere geſtarum rerum preconijs, vt viuentes ętatis ſuæ hominibus maximo ad virtutem fuerint adiumento, & vita functi poſteris, tanquam

 ex.

extenſo digito, recti ad laudabilem vitam callis ſemitam demonſtrarint. Prouincia hæc itaq: licet vnica ſit, & indiuidua geminos tamen habet qui in ea imperent potentiſſimos Reges, Verbum .ſ. & Nomen, & prior quidem Amo, poſterior vero Poeta nuncupatur; qui diutiſſimis temporibus tanta ſimul regnauere concordia, vt in conficienda oratione ex qua vtriuſq; imperij vectigal omne conſiſtit, nullum vnquam diſſidium, nulla diſſenſio, nullum denıq: litigium inter eos fuerit auditum. Nihil autem in omni grammaticę ſolo gignitur oratione præclarius, nihil dignius, nihil ſalubrius, quæ iucundiſſimis compacta florum coloribus, pulcherrimis ornata rerum figuris, ac ſuauiſſimis redimita roſarum nexibus, tantæ eſt auctoritatis, & virtutis, vt cum mortales omnes (modo recte apteq; petroretur) in ſui admirationem trahat, tum a dijs ipſis quicquid voluerit valeat extorquere. Vnde eſt illud Euripidis dictum, omnia conficit oratio, quæ hoſtile ferrum conficere non poteſt, & Pyrrhus plures a Cynea oratione, quam a ſe armis vrbes captas dicere conſueuerat. In hac igitur regum concordia, cum Grammaticę totius res optime procederent, feliciq: proſperarentur ſucceſſu, accidit vt orta inter eos ex parua cauſa diſſenſione, cuncta tumultibus, & inexpectatis bellorum anfractibus inuoluerentur, quid enim non faciant vinum, & immoderatius ſumptæ epulæ? Tantam animorum coniunctionem

nem vnius conuiuij ebrietas, in eas impulit vtrũq; Regem inimicitias, vt immoderata dominandi libidine, tanquam ſilueſtres tauri aſylo acti propria regna, & tam nobile Grammaticæ imperium pene euerterint. Referam autem quonam pacto geſta ſit res; vt ſciant omnes nullum eſſe tam arctum amoris vinculum, quod regnandi libido non ſoluat. Qua propter Dionyſium ſeniorem dicere ſolitum ferunt ab amicis etiam cauendum eſſe ei, qui præſit, quando ignarus non ſit eos imperare malle quam ſeruire. Cænantibus itaq; aliquando prædictis regibus in medio æſtatis feruore ſecus placidiſſimum, & perennem fontem, cuius ripas vndiq. virides Fagi, & altiſſimæ Platani opacitate eximia adumbrabant: Poſtquam abunde ventri factum eſt ſatis, cum incaluiſſent omnes mero, orta eſt inter eos quęſtio, cuius nam partes in conficienda oratione potiores cenſerentur. Et Verbo quidem digniorem locum ſibi aſcribente, acriter reſiſtebat Nomen aſſerens ſine ſe ſtare orationem non poſſe, ex ſeq; procedere quę intelligibilis habeatur, & grata. Quid enim (aiebat) facis tu in oratione ſine me? ſi paululum pręſentiam meam ſubtraxero, non ſecus te intelligant audientes ac mutum loquentem, conſice illam pauliſper ſine me, fac vt ſciant audientes quid tibi velis, certe niſi ipſe interpres accedam, vel ipſa intentionis tuæ primordia, nullus valeat penetrare.

Quæ

Quæ nam eſt medius fidius hæc tua inſania? vnde hos tibi tam repente ſumpſiſti ſpiritus? vt audeas in oratione digniorem tibi locum vſurpare, an te prętærit omnem decorem, pulchritudinem, ac ſuauitatem ex me vno procedere? à verboq; nomen, non a nomine verbum regi conſueſſe? Verborum varietas, verborum elegantia, orationem exornat, & illuſtrat, ſed & niſi te regam ac dirigam in oratione tu ipſe mancus & debilis reperiare, poteris ne tu conſtructionem vnam connectere, in qua non continuo mihi principales partes tribuantur? ſed & me ſolum, quæ inter verba principatum teneo, ſine alterius adminiculo orationem perfectam cum voluero facere poſſe nemo permittitur dubitare, quid ergo blatis, & quid ille a t tuus proijcis ampullas, & ſexquipedalia verba? quis vero es tu? qualiſue? aut quantus? qui hæc iactas, qui tam alte reboas, qui eouſq; inflatus incedis, vt periculum ſit, ne medius dirumpare. Nominum inquies Rex ſum, ſed quod tibi eſt nomen? Poeta reſpondes, quid autem aliud eſt Poeta, quam nugigerulus, nugiuendulus, fabularum inuentor, ſcelerum magiſter, loquax, nugax, mendax, ebrius, & fatuus? qui vera inuertas, falſa ingeras, totumq; orbem garrulitate inficias, & perturbes, qui loquacitate tua tantam tibi apud imperitum vulgus auctoritatem vſurparis, vt cum clariſſima verborum progenie de dignitate audeas diſceptare.

Qui

Quid ex te habent vnde ad virtutem incitentur adu-leſcentiores, quos ſtulte ſatis erudiendos parentes eorum tibi tradidere, niſi adulterum Iouem, Zelotipam Iunonem, meretricem Venerem, mœchum Martem, reliquaq; tuę ſapientię præclara commenta, qui cum plus iuſto aliquantulum biberis, tanquam deo non mero plenus ad inſtar laruati, ceritiq; cęlum terrę, terram cęlo audeas permiſcere. Ad hæc ira vehementiore excandeſcens Rex Poeta, ignominiamq; ac iactata de ſe probra ferre non valens O improbum inquit caput, talia de nobis temerario ore dicere pręſumpſiſti? ſimulq: arreptum poculum in illum furibundus immiſiſſet ni ex circunſtantibus quidam aprehenſam eius dextram ab ictu diuertiſſet. Minime dubium eſt quin irritatis vtrinq; animis ex verbis ad verbera, vulneraq; deueniendum fuerit, niſi interuenientes ſeniores, & ſaniores viri vtrunq; Regem furore ebrium in ſuas ædes reduxiſſent. Quo cum poſtridie ambarum partium ſtudioſi conueniſſent, maxima apud omnes de pridiana contentione diſputatio habebatur. Lacerabatur pręcipue inter nomina regis verborum maledicentia, maior eorum pars, & iuniores precipue mirum in modum fremere; Malo domandam regis Amo loquacitatem dicere; docendumq: illum ampliſſimam Nominum maieſtatem nunquam contumelię fuiſſe opportunam, & licet ætate prouectiores, & Terentius pręcipue, qui ibi tunc aderat,

ſuaderent nihil pręcipitata ſententia fieri debere, & omnia conſilio priuſquam armis ſapientem experiri oportere. Tantus nihilominus fuit omnium Nominum cum ſuo Rege ad arma conſenſus, vt in eam frequenter ſit itum ſententiam, omnibus Verbis continuo bellum indici debere. Miſſo igitur tubicine ad regem Amo, inimicitias, bellumq; manifeſtum confidentiſſimis animis denuntiarunt, nec ſaniora quidem apud Verborum regem agitabantur conſilia, ad quem conuenientes ſuæ partis ordines omnes, longa diſceptatione agebatur de retinenda in Grammaticę regno Verborum dignitate, deq; deprimenda Nominum pręſumptione, cum interim ſuperueniens Poetę regis nuncius de bello; quæ ſibi mandata fuerant diligenter expoſuit. Enimuero lęto ſe animo accipere illis reſpondentibus, ad belli cogitationes verſi ſunt omnium animi. Miſit itaq; Verborum Rex tubicines, & nuncios ſuos ad omnes nationes, & gentes, quę ſuo parebant imperio, iuſſitq; vt cuncti armis idonei ad conſtitutam diem adeſſent. Omnium autem primus adfuit Aduerbiorum dux Quando, cum centurionibus ſex, videlicet. Vbi, Quo, Vnde, Qua, Quorſum, & Quouſq; quos ſequebantur manipulares ſui; & ſub primo quidem hi erant, Hic, Illic, Iſtic, Intus, Foris, Ibi, Ibidem, Sicubi, Necubi, Alicubi, Alias, Alibi, Vſquam, & Nuſquam: Sub ſecundo, Huc, Illuc Intro Foras, Alio, Nequo, Aliquo, Siquo,
illo

Illo, Eo, & Eodem. Sub tertio Hac, Illac Iſtac, Alia, Aliqua, Nequa, Illa Ea, & Eadem. Sub quarto Horſum, Illorſum, Iſtorſum, Introrſum, Extrorſum, Dextrorſum, Siniſtrorſum, Aliorſum, Aliquorſum, Surſum, & Deorſum. Quintum ſequebantur Hactenus, Hucuſq; Eouſq; Vſquemodo, & Vſquenunc. Sextus centurio ſignum ferebat manu propria, ibatq; medius omnium, ita vt duo precederent ordines, ipſe ſequeretur, tres clauderent agmen. Multa alia Aduerbia antecurrebant, quædam procedentium acierum tegebant latera, illa itinera explorabantur, hęc curabant ne ordines interrumperentur, quorum nomina hæc ſunt, Peregre, Pone, Super, Supra, Intra, Extra, Citra, & Vltra, cum alijs pluribus Venere poſt hæc alia Aduerbia, Qualitatis, Quantitatis, & numeri, cum quibus erant Aduerbia iurandi, vt Edepol, Enimuero, Ecaſtor, Mehercle, Medius fidius, & Profecto. Aduerbia vocandi vt heus, & oh, reſpondendi vt hem, Ridendi vt, ah, ah, eh, Negandi vt Minime, & Nequaquam. Qui quidem Nequaquam licet ſtrenuus in bello eſſet, & diu exercitatus, omnium nihilominus mendaciſsimus habebatur, & fallax, nec niſi coactus verum fateri didicerat, hunc & græci olophanta appellabant. De hoc Nequaquam truci, & mala Beſtia, plura eſſent dicenda, quę quidem liberę non ſunt voces volentes omittimus, id potiſsime perſuaſum habentes ſuperfluum

eſſe

eſſe lupum ouibus cauendum nunciare. Omnia hęc Aduerbia triplici muniebant armatura, ferebantq; pro ſcuto Speciem, pro lorica Significationem, pro enſe Figuram, multę alię nationes Aduerbiorum venere in auxilium regis ſui, videlicet natio Indicatiua, Frequentatiua, Meditatiua, Deſideratiua, Inuitatiua, Diminutiua, & Denominatiua, cum copijs non ſpernendis affuere, etiam fortiſsimi Satrapę Anomali, qui late dominabantur in confinibus Grammaticę. Bellicoſiſsimi quidem, ſed qui nullo poſſent ordine contineri, eorum nomina hęc ſunt. Sum. Volo. Fero, & Edo quibus conceſſum a Rege fuit vt in quocunq; caſtrorum vellent loco ſua figerent tabernacula, modo inter milites nullum tumultum concirent. Poſt hos aduenit natio verborum Defectiua, diſtincta, & pulcherrime per turmas ordinata, videlicet Memini, Noui, Cępi, & Odi, item Vale, Salue, Aio, Inquit, Inquam, Faxo, Cedo omnes armati, & ad pugnam animis prę ſentiſsimis, quę quidem ſequebantur omnia Verba Actiua veſtita in O, & paſsiua in Or, Neutra quoq; cum Deponentibus, Communibus, & Imperſonalibus, cuncta diuerſorum idiomatum, & variarum linguarum, erantq; armata Generibus, Temporibus, Modis, Speciebus, Figuris, Perſonis, & Numeris, Congregato huiuſmodi exercitu Rex Amo omnes copias deduxit in latiſsimos campos Coniunctionum in loco quodam, qui dicitur Copula,

pulaſi ibiq; caſtrametatus eſt iuxta flumen Defunctiuarũ, nomine, SIVE, diuiſitq; omnia ſua verba in quattuor Coniugationes, vnicuiq; tribuens in caſtris proprium locum, exceptis quibuſdam familiaribus Verbis, quibus iniunctum fuit vt ſarcinas ferrent Infinitiuorum, quorum hęc nomina ſunt. Incipit, Deſinit, Debet, Vult, Poteſt, Iubet, Audet, Nititur, Tentat, & Dignatur. Vltima omnium venere in caſtra quædam verba maximæ auctoritatis. vt Pluit, Ningit, Fulgurat, Tonat, Fulminat, & Adueſperaſcit, trahentia poſt ſe cohortes fortiſsimorum militum ſuorum. Sed & Gerundia cum Supinis relictis Nominibus transfugere ad Verba. Audiens vero Nominum rex Poeta quanta contra ſe pręparaſſent aduerſarij ſui, veritus ne ſubita vi aliqua ingruente opprimeretur, ſi imparatus tantarum virium impetum expectaret, omnibus imperio ſuo ſubditis indixit, vt quam primum fieri poſſet armati, & inſtructi pro iuribus adeſſent, in cuius auxilium vtpote propinquiores primi affuere Pronominum Duces, Ego, Tu, Sui, conſanguinei ipſius regis, & ex eodem Aiacidarum ſanguine procreati, cum quibus erant Meus, Tuus, Suus, Noſter, & Veſter, Noſtras. & Veſtras. Ille, Ipſe, Iſte, Hic, & Is. Omnia autem Nomina diuiſa erant in plures cuneos, & ſub varijs ſignis centuriata; aliqua quippe erant Primitiua, alia Deriuatiua, aliqua Relatiua, quædam Poſſeſſiua,

quædam Gentilia, venere inſuper tres Articuli pugnaciſſimi, & longo belli vſu exercitati. Primus erat Hic, Hæc, Hoc. Secundus, Hic, & Hæc. Tertius Hic, & Hæc, & Hoc, qui Speciebus Generibus, Numeris, Figuris, Perſonis, & Caſibus armabantur, poſt hos duces magni Relatiuorum; Quis, Quę, Quod, vel Quid eiſdem ſe caſtris iunxere, & erant ij Referendarij generales Regis Nominum in omni ſuo regno, cum quibus fuere omnia Relatiua, & Subſtantiua diſtincta in duas turmas videlicet. Identitatis, & Diuerſitatis. In prima numerabantur Is, Suus, Ipſe, Sui, Ille, & Idem. In ſecunda Cæter. Alius, Reliquus, & Alter. Princeps Relatiuorum accidentium erat Qualis, cum quo militabant Quātus, Quot, Quotuplex, Quotenus Quotifariam, Quiades, & Quigena. Venit etiam Regina Præpoſitionum, Ad, cum qua erant Ab, & In coniunctæ Nominibus cauſalibus, ducebantq. ſecum tres phalanges ſtrenuorum militum. In prima erant A, Abs, Cum, Coram, Clam, De, E, Ex, Pro, Prę, Palam Abſq; Tenus, ſeruientes Ablatiuo caſui. In ſecunda fuere, Apud, Ante, Aduerſus, Cis, Citer, Citra, Circum, Circa, Contra, Erga, Extra, Inter, Intra, Infra, Iuxta, Ob, Pone, Per, Propter, Prope, Secundum, Poſt, Trans, Vltra, Pręter, Supra, Circiter, Vſq; Secus, Penes, omnes ſeruientes Acuſatiuo caſui. In, Sub, Super, & Subter ſeruiebant vtriq; caſui, Ablatiuo

ſci-

ſcilicet. & Acuſatiuo. Sub ſignis tertiæ phalangis militabant, Di, Dis, Re, Se, An, & Con; eratq; eorum proprium officium compoſitionem ſfacere in vſum militum, nanq; tunc dies quadrageſimæ erant. At qui Nomina omnia in ſuas acies diſtributa pulcherrimo ordine procedebant videlicet; Subſtantiua, & ſimiliter, Adiectiua, Propria, Apellatiua, & Partitiua, poſt quę Comparatiua, Superlatiua, Poſſeſſiua, Patronimica, Gentilia, Numeralia, & Multiplicia. Singula eorum diſtinguebantur per Declinationes quinque ſcilicet, primam, ſecundam, tertiam, quartam, & quintam, quorum arma erant Species, Genera, Numeri, Figurę, & Caſus. His igitur omnibus in vnum coactis, Rex Nominum Poeta copias, & ipſe ſuas deduxit in eandem planiciem Coniunctionum poſuitq; caſtra ab altera parte prędicti fluminis, Siue, ita vt tantos exercitus vnicus diuideret Alueus fluminis; vnde, & fiebat vt inter aquatores non leuia interdum pręlia inirentur, nunquam tamen totis copijs in aciem deſcenſum eſt, prohibentibus id vtriuſque partis Regibus, quoniam nec dum ad pugnam neceſſaria omnia parata intelligebant, ſatagebatque vterq; eorũ Participiũ in ſuas partes traducere. Erat vero Participium maximæ in tota Grammaticę prouincia, Auctoritatis, & poſt Reges, Potentia, & Dignitate plane primus, qui in quancunq; partem cum ſuis iuribus inclinaſſet, haud dubie victoriam

ſecum trahere poſſe videbatur. Quapropter non tam Verbum, quàm Nomen vt hunc ſibi adiungeret nihil intentatum prętermittebat, præoccupans autem Nominum Rex Poeta huiuſmodi ad illum litteras dedit. *Non arbitror te pręterire frater mi, quanta inſolentia, quo animi tumore contra me Nominunq; dignitatem inſurrexerit, Verborum, Rex, Amo, qua ve temeritate conficiendæ orationis primas partes ſibi vſurpare prę ſumat, propter quod licet inuiti, Arma ſumere, & copias cogere coacti ſumus, vt illius contuſa ſuperbia auctoritatem noſtram illibatam conſeruare valeamus, enimuero cum optime ſcias quantum Nominum gentibus debeas, quę ve ab illis acceperis beneficia, feceris pietate, & fide tua dignum opus, ſi communem exiſtimationem, communem rem, communes ſpes, nobiſcum profecturus cum tuis te legionibus nobis adiunxeris, nam euerſo Nominum ſtatu, atque Imperio, nihil eſt quod in Grammaticæ ſolo tutum tibi poſſis arbitrari, Vale, & quantum potes tuum feſtina aduentum.* Scripſit vero, & Rex Amo ad Participium in hæc verba. *Non me latet amice cariſſime ſollicitari te maxima inſtantia ab aduerſarys noſtris vt contra nos bellum geſturus ſecum in campum deſcendas & licet pro tua prudentia nihil temere te geſturum confidamus, neceſſarium tamen duximus admonere, & hortari te, vt mente repute s, quæ a nobis habeas commoda quanta ex Verbis dignitati tuæ fiat adiectio, & licet minutula quadam a Nominibus accepiſſe videa-*

ris

ris, potiora, amplioraq; nihilominus ſunt, quæ tibi a nobis tribuuntur, iuſtius itaq; feceris non nos modo, Verborumq; Imperium, ſed te ipſum tuaſq; res defenſurus ad felicia hæc noſtra perueneris caſtra, nam nec veriſimile eſt, ſi ſuccumberimus ipſi hoſtes a rebus tuis tẽperaturos, quin victricia (quod Deus auertat) in te cõuertant arma, quo ſoli tandem in omni Grammaticæ ſolo pro effrenata animi libidine craſſari queant, Vale.

Ambarum igitur partium lectis litteris aliam Participio mentem eſſe, alia moliri, diuerſa animo voluere; cogitabat ſiquidem neutri ſe parti adhęrere poſſe ſine manifeſtaria rerum ſuarum pernicie, e contrario ſi ſe medium gerat; vel amborum ſeruare gratiam, vel quod magis deſtinabat animo vtriuſq, res bellorum cladibus ita affligi poſſe penſabat, vt illis depreſſis, rerum ipſe in Grammaticę Regno ſine controuerſia potiretur. Verum diſſimulandas huiuſmodi cogitationes cenſebat, ducendoſque vtroſq; Verbis, quoad certaminum euentum poſſet inſpicere, reſcripſit itaq; vtriſq; in hęc verba, *Accepi litteras veſtras Illuſtriſſimi Reges, eaſq; non ſine ingenti animi dolore perlegi, audiens inter adeo coniunctos principes tanta exorta diſſidia vt contineri minime poſſitis quin propria regna, Grammaticæ tam celebre Imperium cruentiſſimo bello ſitis euerſuri. Quæ vos occupant intemperiæ? Vnde ea mentium alienatio? Per immortalem Deum quo progrediamini paululum cogitate, quantum lætabuntur aduerſarij communes no-*

tri Ignorantiæ petulci habitatores, & Barbariſmorum incompoſiti populi intuentes hoſtium ſuorum vires mutuis diſſidijs lacerari. Adiuro vos per Deos omnes, Superos, Medios, Infimos, Regredimini, Abſtinete funeſtis, & abominabilibus armis, ne damnabili dominandi libidine pulcherrimam totius orbis Prouinciam tumultibus, & cladibus inuoluatis, at qui ſi ita in fatis fuerit, ſi omnino obfirmati eſtis bello decernere, meum minime arbitror veſtrum alicui adhærere, partem quippe iuriſditionis meæ capio a Verbo, partem a Nomine, & cum vtriq; multum debeam, vtrumq; commeatu, alijſq; aduictum rebus neceſſarijs, quantum potero adiuuabo. Abſtinebo autem armis, tantumq; ad id meas cogam copias, ne in hac bellorum licentia, fines Imperij mei aliquatenus poſſint deuaſtari. Dent vobis Dij vt ſaniora cogitetis. Valete. Licet vero hęc reſcripſerit, alebat nihilominus verſipellis, & vafer, quibus poterat modis Regum diſcordias, concitabatq; occultis litteris vtriuſq; gentis animos ad pugnam ſperans ex eorum internitione facilem ſibi aditum, ad totius Grammaticæ Imperium poſſe parari. Dieq; quo milites ſui ad ſe conuenirent indicto, non contemnendas, & ipſe copias aggregauit. Affuere in primis deſinentia in Ans, & in Ens, in Tus, Sus, Xus, Rus, & in Dus, cum Nominibus Verbalibus in Tor, & in Trix, & ſimilia, quę incolebant loca vicina Verbo, & Nomini, Participio ſe adiunxere, ſed & Gerundia Su-

pi-

pinaq. vt ciuilia bella declinarent, a Verbo iterum ad Participium transfugere. Rebus hoc pacto diſpoſitis, quo ſe vtriq; parti Participium ratum exhiberet, deſtinauit vtriſq; munera precij non exigui, & Verbo quidem primum miſit infraſcripta Neutra Paſſiua videlicet, Gaudeo, Soleo, Audeo, Fio, Prandeo, Cęno, Iuro, Titubo, Placeo, Nubo, Careo, Mereo, Poto, Taceo, & Quieſco. Nominum autem Regi dedit deſinentia in Tor, & in Trix. Miſit etiam pro pedamento exercitus Verbo plauſtra centum, Prętcritorum, Pręſentium, & Futurorum, Camelos mille figurarum Simplicium, Compoſitarum, & Decompoſitarum. Nomini vero per flumen Siue, tranſmiſit decem onerarias naues caſuum Nominatiuorum, & Genitiuorum, & totidem Numerorum Singularium, & Pluralium, multaq; alia genera Maſculina, Fæminina, Neutra, Communia, & Omnis. Quibus peractis continebat ſe cum legionibus ſuis intra proprios confines, expectans. Quonam inclinaret fortuna. At bellicoſi reges cum abunde pręlio opportuna prępataſſent, nihil cogitabant aliud quam vt ex pręclara aliqua re, belli initia ordirentur, accidit autem vt ex nobilioribus ciuitatibus totius Grammaticę, duę furto interciperentur à Verborum Rege videlicet, A, & V, nam in eam diem vrbes omnes vtriq; Regi ſuum ſtipendium exoluebant, nullam vni magis, quam alteri de cętero ſer-

uitutem ſeruientes. Quod audiens Rex Poeta eiſdē artibus tres alias occupauit, ſcilicet, E, I, O, reliquę Ciuitates cautius inuigilantes ſua ſeruata libertate vtriſq; ſe communes exhibuere, quarum nomina hęc ſunt, b, c, d, f, g, l, m, n, p, q, ſ, t, x, ex quibus omnes Grammaticę nerui conſtare certiſſimum erat. De Diphthongis binę cuilibet Regum datę ſunt, vt tubicinum officium exercerent, edoctę quippe erant ęre ciere viros, martemq; accēdere cantu, æ, & œ. Nomini Regum ceſſere, au vero, & eu verba accepere. Sequebantur inſuper vtraq; caſtra Mulierculę quędam mimę varijs affectibus militum mentes afficientes, earum quędam flebant, & lamentabantur Grammaticę communem ſtragem quam imminere proſpiciebant vt, oh, oh, oh, & heu, & hei, aliæ indignabantur, & carpebant Regum diſcordias, vt Vach, Vhe, & At, At, pleręq; admirabantur inter tam coniunctas perſonas ea orta eſſe deſidia, vt Pape, Vahu, & Vha, ſed, & quędam ob mentis leuitatem gaudebant, hortabanturq; milites in pręlium vt, Hea, & Euax. Cęterum omnibus ad pugnam inſtructis viſum eſt Verborum Regi, quo ciuiles clades quantum in ſe eſſet declinare videret, honeſtaretq; aliqualiter factum ſuum huiuſmodi Regi Nominum epiſtolam ſcribere. *Intelligere potuiſti o Poeta, quam paratus, quam robuſtus tecum certaturus in campum deſcenderim, nec ignarus es eas tibi minime*

nime adeſſe vires, vt legionum mearum impetum poſsis expectare, tuis prudenter conſules rebus ſi mihi cedens tuis te continueris terminis, quod ſi inſanire pergas, ſtatq; ſententia ferro decernendi, die tertia omnibus copijs tecum congreſſurus in campum deſcendam. Has litteras cum Nominum Regi dediſſent tubicines Au, & Eu ex conſiliariorum ſuorum ſententia, ita, & ipſe reſpondit, *Semper tibi verborum eſt pluſq; ſatis ô Amo, nec nouum eſt quod verboſitate tua audientium aures obtundas, tactas tu pugnaces exercitus, & tuos terribiles apparatus, quaſi nos pumiliones locuſtaſue nobiſcum habeamus poſſeſsio tibi parua fuit ſemper in oratione, & tunc eo te impulit tua inſania, vt effugere nequeas, quin male parta, peius geſta, peſsime retenta, hac tua regni portione iuſtis armis eijciare, & vt ſcias quanti non tàm ipſe, quàm milites mei minacias tuas faciamus tubicines noſtri Ae, & Oe nomine noſtro nudatos tibi lumbos porrigent. Si vt velim valeas, extremum valeas.* Huiuſmodi litteris irritatis vtrinq, animis futuri pręlij diem ardentiſſime cuncti expectabant, creuerat interea ex temporum occaſione (vt fit) facinoloſorum licentia, exieratq; latrunculorum non ſpernenda manus, quæ omnem Grammaticæ prouinciam, & præſertim loca ſaltibus, montibus prępedita, quę tranſeuntibus anguſtum iter præbere conſueuere obſidentes itinerantes, aut alias in vtraq; caſtra commeatum fe-

rentes prædabantur, quapropter creſcente indies, apud vtrumq; exercitum annonæ inopia, intellecta eius rei cauſa de vtriſq; Regis conſenſu miſſi ſunt duces quidam peritiſſimi cum militum opportuna manu, vt vel captos latrones interficerent vel fugatos omni Grammatica procul expellerent. Qui ad ea peruenientes loca circundato militibus quodam ſaltu, in quo pleroſq; ex illis latere compererant, omnes ad vnum intercepere. Inter quos fuit quidam nomine Catholicon, qui grandem aſinum vocabulis grȩcis latiniſq; confuſe permixtis onuſtum in Italiam agebat, & cȩteros quidem cum laqueo necaſſent, hunc ſolum vinctum cum ſuo aſino in caſtra duxere. Qui tormentis coactus [quod alioquin maniſeſtiſſimum erat] confeſſus eſt ſe omnia vocabula in Grammaticȩ terris ſurto ſurripuiſſe. Cum vero eum quis Grȩce interrogaſſet, ingenueq; reſpondiſſet ſe græcæ nihil ſcire, Latine autem parum, quid ergo inquiunt iudices grȩca tecum defers vocabula, quæ non intelligis? Ad quȩ ille, tanta apud noſtrum pleroſq; inquit litterarum eſt imperitia, vt etiam ſi Barbare loquar facile illis perſuadeam me Atticæ eloquentiȩ angulos omnis penetraſſe, riſere vehementius adſtantes cuncti hoc audito, & mehercle inquiunt, quando tam faciles auditores habes, quæ tua ſunt, aut alias eorum domini non comparebunt tecum ad illos ferens ibis incolumis. Quæ vero certum dominum habere dinoſcentur, ea vt reſtituas

di-

dignum iudicamus. Facta igitur diligenti inquiſitione, omnia ferme Græca Iſidoro cuius fuerant reſtituere, cętera Latinis, & ipſis marcidis, mucidiſq; permixta vt aſportaret permittentes illum dimiſere cum ſuo aſino iam leuius incedente iubentes nihilominus ne vnquam niſi inter imperitos, & indoctos auditores ſuos Grammaticum ſe profiteri auderet, Priſcianus vir præſtantiſſimus, & in omni Grammatica apprime honoratus cum ęgreferens ciuilibus bellis Grammaticam deuaſtari ſeditiones ſedaturus in caſtra feſtinus pergeret a latronibus Catholicon ſocijs captus, ſpoliatus ac fuſtibus pulſatus tale in capite vulnus accepit, vt nullo vnquam medicorum ſtudio curari potuerit; Ex his non multo poſt captus fuit, quidam qui ſe falſo hiſtoriographum publice profitebatur, congeſſeratq; innumeras in volumen quoddam ineptias. atq; eum librum ſupplementum cronicarum appellauerat, quem quęſtionibus omnia furta fateri coactum in ignorantiæ terras perpetuo relegarunt, Dum hęc agerentur egreſſi ex Verborum caſtris quidam ex genere Anomalorum, videlicet. Sum, Volo, & Fero cum cohortibus tribus intercepere vnum ex centurionibus nominum dictum Cęter, qui erat de genere Relatiuorum latebatq; cum manipularibus ſuis in quadam ſpelunca poſita in biuio Coniūctionum, Quod, & Cum ipſumq;cum omnibus ſuis Singularibus trucidauerunt, Plurales vero in tali diſcrimine conſti-

tuti

tuti cum ſe magiſtri Paſquili ſtatuę quæ Romę in Parione eſt ſub ędibus Reuerendiſſimi Cardinalis Neapolitani grandem cæreum oblaturos voto obligaſſent eius ſancti meritis pręter omnium opinionē incolumes euaſere, quod cum Poetæ Regi nunciatum fuiſſet, iratus eſt vehementer, tulitq; ęgerrime, quod talem centurionem amiſiſſet, erat quippe is Cęter fortitudine inſignis, audacia celebris, & militaris rei peritia nulli ſecundus, obſeruabat igitur omni ſtudio, ſi quo pacto acceptum damnum bene cumulatum hoſtibus poſſet retribuere. Verum fortuna, quæ cum omnibus in rebus plurimum poteſt, tum in bello plane dominatur, optimam ipſis vindictæ præbuit occaſionem, nam eiſdem diebus ab leuis armaturę militibus Nominum captiui in caſtra adducti ſunt cum plures ex Verborum legionarijs, non leuis inter ſuos auctoritatis inter quos ex Imperatiuorum genere fuere Dice, Face, & Duce, quibus ignominiæ cauſa poſteriores veſtium partes præcidi iuſſit, ita vt nudas nates conſpicuas gererent, & dimitti, vocatiq; impoſterum ſunt Fac, Dic, & Duc; Fuo, & Spicio ſimiliter captos necari iuſſit. Quorum bona a Verborum Rege accepere eorum per rectam lineam legitimi deſcendentes, inter quos Futurus, & Fui cum alijs a Fuo oriundis, & a Spicio Conſpicio, & Deſpicio, cęteriſq; ab Aſpicio deſcendentibus. Detecta eſt interim in caſtris Verborum grandis proditio, coniurauerant

enim

enim quidam monſtroſi milites de genere Præteritorum Perfectorum,quibus bina erant capita, moliebâturq, inſidias Verborum Regi, qui quidem capti, conuictiq; damnati ſunt perduellionis, ſiue crimine læſæ Maieſtatis, nomina eorum hęc fuere; Momordi, Cecidi, Cucurri, Pepedi, Spopondi, Cecini, Peperi, Tutudi, Pepuli, & Fefelli. Quibus iuſſu Regis in prçſenti tempore vnum caput abſciſum fuit, & ſic vbi prius in prçſenti dicebant, Momordeo, Cecedo, Cucurro, poſtmodum dixere, Mordeo, Curro, Cedo, cum cęteris. Adueniente demum pugnę die vterq; Rex in eminentiore caſtrorum loco palium rubrum poni iuſsit. Quo milites admoniti futuri prælij curarent corpora prçpararentq; arma, ac reliqua in eum opus neceſſaria. Poſtridie ſummo mane pranſis militibus, ex omni parte copię ſummo ſilentio in campum deductę sũt, explicatiſq; ordinibus, ſuos quiſq; vt viriliter agerent efficaci oratione excitabat, minime vero opus erat accenſos per ſe ſatis verbis accendere, quin ipſi vltro criſpantes tela furibundi ineundi prçlij ſignum expetebant. Poſtquam id actum eſt tubę vtrinq; canunt, contra conſonat terra clamorem vtrinque efferunt Imperator vtrinq; hinc, & illinc, Ioui vota ſuſcipere,hortari exercitum pro ſe quiſq; id quod quiſq; poteſt, & valet edit, Ferro, ferit, tela frangunt, boat Cęlum fremitu virum, & ſpiritu atq; hanelitu nebula conſtat, cadunt vulnerum vi,

& virium vtrinq; multi. Videre erat inter cęteros Defectiua verba pugnantia cum nominibus Heteroclitis, & hęc quidem ſuis Nominatiuis caſibus, & Generibus genitiuis Numeriſq; pluralib⁹ acriter feriebant aduerſarios, illi vero reſiſtebant audacter repercutiebantq; nomina heteroclita Indicatiuis, Pręteritisperfectis, & Pluſquamperfectis, confringebantq; eorum numeros, & genera Coniugationibus ſuis, ex quibus quidem Verbis vnum cui nomen Aio, ſingulari vtens audacia duorum nomiminum heteroclitorum impetum diu ſuſtinuit. Verum cum reſiſtere non potuiſſet ſpoliatum fuit multis Perſonis, Modis, Temporibus, & Numeris, remanſereq; illi ex omnibus ſuis hi tantum, Aio, Ais, Ait, Aiunt, Aiebam, Aiebas, Aiebat, Aiebant, cætera hoſtium gladijs cecidere, pugnantibus hoc pacto vtrinq; legionibus, atq; adeo ſimul permixtis, vt vix hoſtes a ſocijs poſſent diſcernere tantus fuit omnium in pręlium ardor, tanta animorum intentio, vt cum eadem hora terribilis terremotus in ea Prouincia vicinas vrbes proſtrauerit, amnes curſu rapidiſſimo auerterit, mare fluminibus inuexerit montes lapſu ingenti proruerit, nullus tamen eorum id ſenſerit. Erant nunc qui fabulas cenſet hoc idem accidiſſe eo prælio, quo Romanos apud Thraſimenum Pæni maxima, ac memorabili illa affecerunt clade, nec fidem facit Cortona Ciuitas, quæ teſte Luciano in libro de veris narrationibus, cum
prius

prius in Thraſimeni littore ſita eſſet, eadem hora ventorum turbine in eum collem, in quo nunc eſt tranſlata dinoſcitur hoc nouiſſimo exemplo maximum ſibi certe veritatis teſtimonium acceſſiſſe Liuius gloriari poterit. Obſcurabatur ſol multitudine ſagittarum Numerorum ſingularium, & pluralium, obtundebantur aures omnium clamoribus Figurarum Compoſitarum, & Decompoſitarum, vulnerabantur innumeri iaculis Specierum Primitiuæ, & Deriuatiuæ. Sed, & tubicines vtriuſq; partis clangore rauco, & terribili taratantara concinentes militum animos in pugnam mirum immodum incendebant, Mulierculæq; mimæ Interiectiones ſcilicet pugnantium ordines circum euntes cuncta ſuis affectibus perturbabant, ex quibus quidem frequentius audiebantur gementes ille Heu, & Hei, & Oh, Oh, Oh, atrox magiſquam longum fuit prælium illud, & niſi coorta ſubito tempeſtate ingens ſuperueniens aquarum vis pugnam diremiſſet actum ſane fuiſſet de vniuerſis Grammaticæ viribus, tanta namq; erat omnium in mutuam perniciem rabies, vt ingruente imbre, ac ſigno receptui dato, vix tamen atq; egre in caſtra reduci potuerint, incertitudo, & ambiguitas fuit maxima penes quos eius pugnæ victoria ſtaret ingens vtrinq; clades; ingens cedes, ingens non tàm militum, quàm ordinem, apud vtroſq; ducentium iactura nec facile fuerit amborum detrimenta ſermone complcto, Contendam tamen vt poſte-

ſterorum conſulam vtilitati, ſi non omnium multorum ſaltem diminutiones, augmentumue quantum potero liquide demonſtrare. Ex parte in primis Verborum Deffectiuum Verbum Infit, amiſit omnes ab eo deſcendentes, omnia ſua Genera, Tempora, Modos, Perſonas, & Numeros qui fuerant Coniugationis quartæ, figuræ compoſitæ ſingulariq; ipſe Dei munere, quoniam in periculo poſitus nullius ſe vnquam religionis probatæ, improbatæue habitum ſumpturum vouerat, ſaluus euaſit. Sed, & tanto ex eo caſu terrore perculſus fuit, vt poſtmodum in Grammaticæ regno prodire in publicum raro ſit viſus. Forem ſpoliatus fuit rebus ſuis omnibus, pręter Foret, Forem, & Fore, quæ ſunt de modis Optatiuis, Coniugationis tertiæ. Vale, Aue, Salue, de genere Imperatiuorum grandem commilitonum ſuorum ſtragem accepere, paucis conſeruatis, qui, & nunc comparent alios amiſere. Faxo ex eadem gente Actiuorum, omnibus ſuis manipularibus circa ſe trucidatis cum tribus tantum videlicet Faxis, Faxit, & Faxint, fuga elapſus euaſit, Inquio de genere Neutrorum conſeruauit Inquies, Inquit, Inquiunt, Inquam, Inquies, Inquiet, Inquient, & Inquit, reliquos bellum abſumpſit. Inquiens cum in caſtris Participiorum eſſet periculo non interſuit, Apage, & Apagete, cunctis commilitonibus amiſſis ſoli euaſere; Diet vniuerſos ſocios amiſit, præter dieſcit, Facio orbatus fuit fi-

lio

lio ſuo Facior, qui tamen priuſq; expiraret militari teſtamento hæredem ſibi inſtituit Fio; Poſco, Diſco, Metuo, Timeo, Renuo, Reſpuo, Compeſco, Vrgeo, & Linquo, omnes de genere Actiuorum, perdidere ſua Supina, Occaſum beneficio noctis ſaluus euaſit. Nonnulla Verba, quæ amiſerant prçterita ſua tertię coniugationis, in ſupplementum accepere poſtmodum præterita quartæ coniugationis, in quorum numero fuere. Cupio, Peto, Quæro, Arceſſo, Faceſſo, & Fero, quædam amiſsis futuris in Am, ne Futurorum omnino abicerent ſpem, emerunt in nundinis Recanatenſibus alia futura in Eo, vt Eo, Queo, & Veneo. Sed, & Horatius auctoritate ſua Lenio dedit lenibo. Omnia verba pertinentia ad ſplendorem ſpoliata ſunt Supinis. Inter quæ Luceo, Fulgeo, Splendeo, Polleo, & ſimilia, Fulcio ſingulari vſus audacia excuſsit periculum, & retinui ſuum Fultum. Enimuero poſteaquam ea enumerauimus, quibus aduerſi aliquid euenit minime æquum fuerit ſuis carere laudibus illa verba, quç re ſtrenue acta, vel ex hoſtibus ſpolijs. vel ſui Regis munere ad priorem ſtatum aliquid addidere. Inter cçtera eminent, Cçnatus, Iuratus, Caſus, Mæſtus, Nuptus, & Pranſus, quibus vltra propria prçterita vocis Actiuæ, acceſſere etiam prçterita vocis Paſsiuç; Redimo duobus auctus eſt ſenſibus, poſsidet ea hora tria ſignificata videlicet, Liberare, Conducere, & Ornare; Solor obtinuit

duo

duo ſignificata videlicet, ſolus eſſe, & hortari. Explicat vltra proprium ſenſum qui eſt explicare, atq; Emittere, Obtinuit, vt Explanaret, Oſtenderet, Extraheret, Exhiberet, & Proferret. Valeo vltra proprium ſenſum qui eſt ſanus eſſe, obtinuit etiam, vt cum diceret Vale ſalutaret. Præſto ſimiliter duos habuit ſenſus, ſcilicet mutuari, & ſuper exiſtere. Haurio maiori ditatus eſt prçda quattuor videlicet, ſignificatis, Trahere, Vulnerare, Audire, & Videre. Quç tamen omnia, cum opus fuerit in vnum ſenſum redigunt. Paſco geminos recepit intellectus, Rodere, & Alere, Vaco licet minime ſe prçlio immiſcuerit, nam (vt apud Plautum ait Soſia) cum pugnabant maxime, fugiebat maxime, fortuna tamen, quç, & deſides plerumque coronat, illius ignauiam pinguioribus exuuijs voluit decorare, fugientes enim ex pugna hoſtium quoſdam conſpicatus, tabernaculo exiliens intercepit, quibus poſtea grandi ſe pecunia redimentibus, ſex ſibi vltra priorem ſenſus acquiſiuit ſcilicet, Intendere, Ceſſare, Seruire, Superfluum eſſe, Licere, Carere, & Vacuum eſſe; Studeo tria lucratus eſt ſignificata videlicet Sollicitare, Operam dare, & Conari. Pango tres ſenſus accepit videlicet, Cano, & tunc in prçterito facit, Panxi, Paciſcor, & tunc facit Pepigi, & Coniungo ſiue Figo, & tunc facit Pegi; Sapio ex ea die binos tenet ſenſus videlicet, ſaporem reddere, & Scire. Fero ex anomalis, quatuor au-

ctus eſt ſenſibus, ſuſtinere, cupere, dicere, & portare. Confiteor triplicem accepit intellectum, laudare, purgare, & manifeſtare, Supero dati ſunt ſex ob illius eximiam inter verba omnia potentiam, videlicet; Reſtare, Vincere, Iminere, Tranſire, Euadere, Superuiuere, & Supergredi. Fuere, quędam Verba quæ amiſſis, proprijs prętcritis acceperunt poſtea a Rege ſuo præterita quorundam paſſiuorum, qui in bello ceciderant, vt Audeo, Fido, Gaudeo. Soleo, & Fio. Verba illa peſtifera perniciosa, mendacia, aliud ſemper in lingua, aliud in corde clauſum habentia licet nullum lucrū eo fecerit bello, tamen prætereunda non ſunt, nec eorum reticenda arbitror nomina, vt ab illis caueant cuncti, quoniam paſſionem continue afferunt ſub ſpecie actionis, quorum hæc nomina, Exulo, Veneo, Nubo, & Vapulo, vltimi huius inſidias adoleſcentiorum quiſq; quo fuerit cautior, eo enixius declinabit, ſi ſuis recte conſultum volet natibus, Verborum aliqua ex parte expoſita fortuna, Nominum res orationem ad ſe trahere videntur in quorum caſtris diligenti omnium cenſu habito, cognitum eſt inter ea non minus quam inter verba variaſſe fortunam, & vt a Poſitiuis incipiamus, fuere ex illis non nulla, quæ in Comparatiuis ſuis ſauciata, Medicorum diligentia aliqualem fomentum accepere videlicet, Melior, Maior, Minor, Dexterior, Siniſterior, Plus, Munificentior, & Magnificentior

tior, omnia irregularia, & a ſecunda declinatione deſcendentia, ſed & Pius Arduus, Egregius, Tenuis, & ſimilia perdidere propria comparatiua. Nomina deſinentia in Er in ſuperlatiuo amiſerunt imus, & pro eo poſtea acceperunt rimus, vt tener, & ſaluber, quibuſdam pro ſimus, quo ſpoliati fuerant conceſſum eſt limus, vt Humilis, Facilis, Gracilis, Agilis, & ſimilia, Veteri datum eſt veterimus. Fuere inter arborum nomina; quędam quę dum in prælio viriliter agerent, derepente miraculoſe mutarunt ſexum, & ex fæminis facta ſunt maſculina, mirantibus omnibus qui aderant, interrogantibuſq; vnde illis eſſent illa noua crepundia, quæ pręter ſolitum pendebant ex ventre, ex quibus ſunt, Rubus, & Oleaſter, quæ Liuius vt monſtruoſa, & mali ominis in altum uehi, & mergi, aut Grammaticæ ſolū omnino ex turbari ſuadabat, verum Rex Poeta nimiam illius in procurandis prodigijs ſuperſticionem irridens prohibuit, inquiens, non eſſe mali ominis fæminas in Viros mutari, quando ex malo ſexu in optimum fiat iſta conuerſio. Quibuſdam Heteroclitis nominibus dum cum Defectiuis verbis pugnarent, abſciſa ſunt omnia membra in plurali numero, quē caſum Deus a nobis auertat, deincepſq; in eo numero neq; fæminina fuere, neq; maſculina, ſed neutra, quod certe miſeratione dignum fuit. Nomina eorum hæc ſunt, Sibilus; Auernus; Infernus, Suparus, Balteus, Tartarus,

& Dindimus. Alia feliciorem ſucceſſum ſunt ſortita, nam cum in eodem plurali numero eſſent neutra, cum maximo ipſorummet gaudio continuo maſculini generis aparuere, vt Porrum, Raſtrum, Frenum, & Cælum. Enimuero, Porrum, & Frenum dum Romæ per Emporium Agonis tranſirent reperta ibi ſua neutra pluralia grandi pecunia redemere, illiſq; vti maluere, maſculino genere repudiato. Balſamum ex omnibus arborum nominibus ſolum remanſit neutri generis, vnde eſt quod cum nec generare, nec parere queat, tanta illius eſt raritas vt vnico in uideo ſolo rēperiatur. Id quod ipſa arbor ęgre ferens in lachrymis omnem ſuum fructum mæſta repoſuit. Alia nomina neutro plurali ſpoliata fæmininum accepere, ſicut Epulum, Oſtreum, Veſper, & Cępę, Oſtreo [quod ex omnibus animalibus ſolum reperitur neutri generis) Ouidius reddidit, & alij Poetæ, & pręſertim Plinius, etiã plurale neutrum cum dixit libro Faſtorum, Oſtreaq; In conchis tuta fuere ſuis, & ſic deinceps fęmininum etiam, & neutrum tenuere. Alijs quæ erant generis incerti in plurali datum eſt maſculinum, videlicet; Margo, Cardo, Bubo, & ſimilia, quędam omnibus caſibus in plurali ſpoliata, deinceps mutilata, & manca remanſere, inter quę Fumus, Limus, Fimus, Puluis, Sanguis, Mundus, Pontus, Sol, Sal, & Vnus, quæ omnia ſunt maſculini generis, Soles tamen aparuere aliquando, ſed cum id

 ac-

accidit contra naturam fuit, & pro prodigio habitum eſt. Similiter, & fęminina nonnulla pluralibus caſibus truncata ſunt, vnde verſus. Lux Sitis Labes Mors, Vita Fames quoq; Tabes, Gloria Fama Salus Pax Humus cum Lue Tellus, & cum illis Seneƈta, Iuuenta, Soboles, Indoles, & Proles. Quędam alia fęminina amiſere in eo bello omnem numerum ſingularem, ſcilicet Argutiæ, Habenę, Bigę, Blanditię, Cunæ, Deliciæ, Exequiæ, Exuuię, Excubiæ, Phaleræ, Facecię, Genę, Gades, Inſidię, Induciæ, Calendę, Lachrymæ, Latebrę, Minæ, & complura alia. Nonnulla neutra toto plurali numero exuta ſunt, vt Cęnum Fenum, Æuum, Solũ, Pus, & Virus; inſuper alia neutra totius ſingularis ſui numeri iaƈturam ſunt paſſa, ſcilicet, Arma, Caſtra, Exta, Cunabula, Conchilia, Crepundia, Paſcua, Męnia, Magalia, Mapalia, Ilia, Seria, Pręconia, Præcordia, Sponſalia, & fere omnia nomina feſtorum, vt Saturnalia, Dionyſia, Amphrodiſia, Bacchanalia, Floralia, & Neptunalia. Nomina ea vana, quæ ſemper plura dicunt, & tamen vnum ſolum ſignificant, amiſſo omni ſingulari, fuga elapſa ſunt, ſicut Venetiæ, Piſæ, Cumę, Athenę, & Thebę. Nomina Metallorum omnium, pluralem numerum amiſere, vt Aurum, Auricalcum, Argentum, Plumbum, Ferrum, & Stamnum. Aes, vix Aera retinuit, ſed, & Oleum, & Frumentum ſimilem cladem ac-

cc-

cepere,alia extremis ſuis membris Genitiuis,ſcilicet, & Datiuis pluralibus mutilata remanſere,videlicet; Iura, Thura, Aera, Maria, & Fora, ſed nec omnia Nomina in eo bello iacturam fecere; fuere ſiquidem quam plura quę ſpolijs hoſtium ditata maiorem exinde auctoritatem obtinuere, ex quibus quædam vltra primum nominatiuum, alium etiam adepta ſunt, vt Arbor quæ,& Arbos, Honor qui, & Honos, Labor qui, & Labos, Odor qui, & Odos. Cucumer qui, & cucumis, Ciner qui, & cinis, & Puluer qui, & puluis, quę tamen ambobus nominatiuis non induuntur quotidie, ſed quod conſpicuum, & ornatius eſt, & ex præda habuere, ad dies reſeruant celebriores, & feſtiuos. Plaga vltra primum ſignificatum, quod proprium eſt dum vulnus, percuſſionemue ſignificat, quatuor alios ſenſus accepit videlicet, vt pro recte accipiatur, pro ſpatio Cæli, vel Terrę, pro linteo illo grandi,quo Romanę etiam nunc matronæ vtuntur, dum in publicum prodeunt, pro lecto, & parte etiam ipſius lecti. Ops ab ea die tres ſenſus habet. Ops nanq; Terram ſignificat, ſub ope auxilium prębet,ſub opibus diuitias. Gerundia, & Supina quoniam totiens transfugerant, multata ſunt poſt confectam pacem ab vtroq; Rege, orante contra ea Demoſthene, legeſq; Solonis proferente, quibus ſtatutū fuerat omnibus patrię honoribus priuandos eſſe, eos qui ſeditione in Ciuitate exorta, neutri parti adhæſiſſent,

quoniam priuatis fortunis plus iuſto proſpicientes, publicas patriæ res deſpexiſſe videbantur, & viuebatur tunc quidem vt plurimum in Grammaticæ Terris, Atticis legibus Nomine igitur multę Gerundijs, caſus omnes præter tres adempti ſunt. Supina vero duos tantum retinuere, ægre id ferentibus vniuerſi, Grammaticæ incolis, carpentibuſq; maledictis non tam Solonis legum indiſcreta præcepta, quam Demoſthenis impiam loquacitatem, dicentibuſq; illum faſcias, & lanam domi reliquiſſe. nec gutturis morbum ſimulaſſe, quoniam à Gerundijs, Supinisue non fuerat vnde aurum, ſicut ab Harpalo quondam poſſet accipere. Cęterum ſi ſingulorum clades, aut rei bene eo prælio geſtę adepta decora ſigillatim percurrere nitar, nimis longos afferam logos; Ideo dicendi compendium faciens, illud aſſeruiſſe ſufficiat, quicquid in omnibus Grammaticę terminis auctum, diminutumue reperitur, ex illo cruento execrabili, & funeſto bello proceſſiſſe. Multa ſunt in ea temporum licentia, & introducta verba noua, & exploſa vetera, & niſi prętantiſſimi tres Viri, quos paulo infra harum litium arbitros electos fuiſſe narrabimus, ſingulari ſolertia Grammaticorum quorundam petulantiæ obuiaſſent tanta fuiſſet latinæ linguę immixta barbaries, vt de illius decore elegantiaq; fere deſperatum foret. Poſteaquam igitur vtriuſq; partis legiones in caſtra reductæ ſunt, deſideratorum,

ſau-

ſauciorumq; cenſu habito, intellecta vtrinq; accepta clade, omnes paſſim ingemuere. Queſtiq;acriter ſunt, quod nimia dominandi libidine, rebus proprijs tantam cladem intuliſſent, & pęnitentia aducti, quiſq; eorum, quę pacis ſunt enixius cogitabat. Primum vero Rex Nominum Poeta aduocata concione non ſine lachrymis ita locutus perhibetur. *Scire vos arbitror commilitones mei quam inuitus, ac reſtitans pro decore, proque amplitudine (vt tunc arbitrabar) & nominum tuenda auctoritate, contra fratres noſtros Verborum gentem arma ſuſceperim, quantiſq; ſategerim modis vt illis nobis cedentibus ciuilia bella longius ſubmouerent. Verum cum non tàm noſtra quàm Verborum etiam metior damna, cum vtriuſq; partis ſtrages intueor, flere libet magiſq; loqui opera precium fuerat reminiſci, quæ de Græcorum Romanorumq; ciuilibus odijs, belliſq; ſcripſerint ciues noſtri, quantis eorum ambitionem lacerauerint probris. Profecto ea ſi in mentem veniſſent nuſquam in tantam inſaniam a nobis proceſſum fuiſſet, nec ira, & furore obcæcati, quid ageretur non intelligentes, noſtra met viſcera proprijs manibus diſcerpſiſſemus, ſed præterita (vt ille inquit) magis reprehendi poſſunt, quam corrigi, & melius eſt regredi, quam male cępta ſequi. Si ferro decernere perexerimus, ſi inſinem vſq; inſanire voluerimus, actum ſane eſt de Grammatica Imperio, tantaq; ignorantia, & barbariſmorum genti fiet acceſſio, vt nemine obſtante, nemine eorum te-*

temeritati obuiam eunte vbiq; ipſi pro animi libidine dominari valeant. Quo circa commilitones, vt vtriuſq; regni vtilitati conſulatur vltro a Verborum Rege pacem petendam cenſeo, vltro dextras porrigendas. Neq; hoc dixerim quod labar animo, quod timore concutiar, ſed quoniam luce clarius cerno, res Nominum, Verborumq; non ſine mutua, ſtabili, & inconcuſſa animorum concordia poſſe conſiſtere, fungor ego officio meo, ea adducens quæ communem ſalutem concernere minime dubito, audacter nihilominus, quod volueritis executurus. Vos itaq; quod faxitis deos omnes fortunare velim. Placuit mirum in modum vniuerſę concioni non vtilis minuſquam opportuna ſui Regis oratio, omneſq; militum ordines ingenti ſublato clamore vt quod Rex tam ſapienter ſuaſerat ſine mora exequeretur enixius petiere. Miſſi itaq; in Verborũ caſtra legati ex Nominibus prudentiores, abſq; aliqua difficultate conſtitutis primum inducijs, in hanc poſtremo cum Verborum Rege, eiuſq; proceribus deuenere ſententiam, vt ſcilicet tres eligerentur Viri omnium Grammaticę vſuum, regularum, & terminorum periti, quorum deciſioni, arbitrioq; vtraq; pars perſanc̃te iurata ſtare deberet. Enimuero grandis fuit difficultas, & maxima inter partes contentio, quibus nam id munus potiſſimum huiuſmodi demandaretur, multis eam prouinciam ambientibus, alijs alios nominantibus, & nominatos alijs improbantibus, demum Priſciano, Seruio,

Do-

Donatoq, approbantibus in inſraſcriptos cũ ſti vnanimiter conſenſere. Phedrum ſcilicet Volaterarum Canonicum Baſilicę Apoſtolorum Principis, ſingularis eloquentię virum, & extra omnem ingenij aleam poſitum, Petrum item Marſum Laurentij in Damaſo Canonicum eruditiſſimum, ac Raphaelem Lippum Florentinum Oratorem inſignem. Qui cum in caſtra vocati aduenissent, partis vtriuſq; iuribus auditis, re inter ipſos accuratius conſiderata, hanc poſtremo ſententiam protulere. Quod Grammaticæ Regibus, Satrapis, Ciuibus, Studioſiſq, vniuerſis fauſtum felixq; ſit. Nos Triumuiri tollendarum litium cauſa conſtituti, omnes contentiones, maledicta, iniurias, damnaq; quę in hanc diem inter Grammaticę Reges eorumq; milites interuenere reuocamus, tollimus, & obliteramus, etſi obliuioni tradi nequeant, at ſaltem ſilentio tegenda decernimus, ſtatuimuſq; vt de cætero in conficienda ſolemni oratione vterq;Grammaticę Rex cum ſuis ſequacibus conueniat. Verbum ſcilicet, & Nomen, Participium, Aduerbium, Præpoſitio, Interiectio, & Coniunctio. In quotidiana vero, & familiari oratione, ſoli Nomen, & Verbum, onus ſuſtinebunt, arceſcentes in patrocinium ſuum quos ex ſuis volent, cęteris parcentes ne toties citati nimis grauentur. In oratione igitur volumus Nomen Verbo ſupponi, & cum apponitur a Verbo Nomen Regi debere decernimus quantum ad caſum, quantum

tum vero ad perſonas, & numeros Verborum ſuppoſito cedere quod ſit vel Nomen, vel Pronomen, vel Participium Item volumus quod Participium reuereatur Nomen, & Verbum, habeatq; regimen a parte poſt ſui Verbi, a parte ante imitetur, & Nomen. Si verò neceſſitas vrgeat concedimus ſoli Verbo vt in prima, & ſecunda perſona, & in quibuſdam verbis exceptę actionis in tertia perſona faciat orationis ſenſum, ſemper nihilominus ſubintelligendo Nominis auctoritatem, ſed non exprimendo, Hæc itaq; ſententia partibus præſentibus lata eſt atq; promulgata receptaq; ab omnibus Grammaticę incolis miro omnium ordinum conſenſu, quam etiam omnia Italiæ Gymnaſia aprobauere, & præcipue Bononienſis docta Ciuitas, & ſublimium ingeniorum parens fęcunda, quæ cum alias multos, tum maxime ętate hac Alexandrum illum Zambecarium, virum integerrimum, quem nec ſpes, nec timor vnquam mouit à recto, Romanæ dedit Curię. Studium vero Pariſienſe cętera recipiens, hoc ſuis Prouincialibus ſpeciale reſeruauit, pronunciandi ſcilicet tàm Verba quàm Nomina libere, & ſine aliqua ſyllabarum quantitatis diſcretione. Et quoniam vetus erat queſtio inter Regularem, & Antecedentem, inter Adiectiuum, & Subſtantiuum, inter Dictionem regentem, & rectam, determinantem, & determinatam, nec non inter orationem perfectam, & imperfectam. Eorum enim vnuſquiſq;

de

de prçeminentia certabat, & huius quoq; diſſenſionis materiam tollerent, decreuere, quod Relatiuum Subſtantiuæ identitatis cum ſuo Antecedente concordaret in Genere Numero,& in Perſona. Item quod Relatiuum Subſtantiuo deſeruiret in Genere Numero, & Caſu, & quod Dictio recta naturam regentis ſequeretur, Relatiuum vero accidentis ſolum Antecedens referret, quantum ad tale accidens, ſiue proprietatem, in quo modo referibilis, & referentis tantum concordaret regula diuerſitatis cum Antecedente, quodq, oratio imperfecta dependeret à perfecta, & dictio ſpecifica à ſpecificata, & inter adiectiua, duo ſubſtantiua, duo Verba modi infinitiui, duas orationes perfectas, & duas imperfectas nulla eſſet obligatio ſeruitutis. Hortabatur prçterea Petrus Marſus vt inter facta, dictaq; pacem, & concordiam ponerent, verum diſſuadente Phedro diceuteq; hac ſublata diſcordia nullum tonſoribus, popinarijſq; linqui negocium, rem intentatam dimiſere. Ignorantiæ ſtudioſos omnes, ac barbariſmorum ridiculam gentem inuiolabili decreto omnibus Grammaticæ finibus ſubmouere, & barbariſmo quidem ad ſe protectosCiſalpinç gentes ciuitatibus ſuis donauere. Ignorantiæ vero deditos quorundam Principum fauore protectos, non Italia modo, ſed Vrbs etiam ipſa bonarum litterarum parens, vel inuita tueri perſeuerat, inter quos nonnullos etiam prçbendis pinguioribus honeſtatos rudes

des adeo, & imperitos reperies, vt ſi eos interroges Amo quę pars eſt? dicturi ſint *Parla che te intenda?* Vſq; adeo mulas ipſas, quibus tam ſublimes vehuntur inſcitia, & obeſitate animi ſupergrediuntur. Prædictis inſuper Arbitris omnium cõſenſu irreuocabilis poteſtas, & perpetua cenſura data eſt Grammaticulos omnes Grammaticæ corruptores, ſemilatinoſq; & ſemigręculos tanquam naturæ monitra inquirendi, puniendi, relegandi, omneq; id faciendi, quod bonarum litterarum cultum, augmentumq; concernere animaduerterint. Quod vt facilius, aptiuſq;exequi poſſent, iuſſi ſunt, vt Curiam Rom. continue ſequerentur, quo non tam bonorum virorum frequentia confluit, quam malorum feces ſe frequẽtes exonerant, quę quidem auctoritas Pontificalibus, Imperialibuſq; ampliſſimis priuilegijs corroborata dinoſcitur. Et pręcipue Sanctiſſimi D. Noſtri Iulij Pontificis II. incomparabilis, cuius memoria nunquam intermorietur.

F I N I S.

GAS-

GASPARSI AVIATI
CREMONENSIS
Carmen ad Lectorem.

LEctor candide quid Legis Thyeſten?
Sæuas Colchidas? auribus placebunt
Quę doctus cecinit magis Salernus
Andreas, dubios mouet tumultus
Verbi, & Nominis hinc, & hinc furentum:
Hunc Lector lege, fabulę faceſſant.
Hic prompti Ciceronis eſt facultas,
Hic ſunt ridiculi ſales, iociq;
Quid ſtas? hunc rigidi legunt Catones:

HIERONYMI FONDVLI
CREMONENSIS
Exaſticon ad Lectorem.

NOminis, & Verbi lector ſtipe ſumito bellum
Quo pax nulla quidem dulcior eſſe poteſt,
Bella recognoſces, quorum ſine partibus, hoc eſt
Eloquio, omnis homo cæderet vſq; feris.
Hic iocus Andreæ defluxit ab ore Salerni.
Fluxerunt lepidi cum grauitate ſales.

Einſ-

Eiuſdem Tetraſtichon.

Ranarum, & Murum tam belle haud ponit Homerus
Bella, giganteas non ita Naſo manus.
Andreas quanta cum maieſtate Salernus
Ingenij Bellum Grammaticale canit.

NOTABILIORA

Errata	*ſic corrige.*
Pag. 8. refferet	referret
&	ex
11. Andrea	Andreas
12. aedito	edito
aprime	apprime
13. ac	ad
archetijpus	archetypus
23. Amaenitate	amœnitate
caedat	cedat
32. nuneris	numeris
47. retinui	retinuit
50. ſuada bat	ſuadebat.

Inuerſę literę, & omiſſę diphtungi tuę nituntur humanitati.

33959184

MG